



Disputatio juridica inauguralis de emptione-venditione

<https://hdl.handle.net/1874/343300>

42.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
EMPTIONE-VENDITIONE.

QUAM

PRÆSIDE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

JOANNIS GEORGII GRAEVII

Politices, Eloquentiæ, & Historiarum Professo-
ris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimaque

Facultatis JURIDICÆ Decretu,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit.

SAMUEL SCHORER, Medioburgo-Zelandus.

Ad diem 11. Decemb. hora locoque solito.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiar
Typographi, clc Icc xc.

*Amplissimis Nobilissimis & dignitate
conspicuis VIRIS,*

D. D. JOHANNI SCHORER,
Reipublicæ Medioburgensis viro con-
sulari , Patruo ac tutori suo vigilantif-
simo multis nominibus devenerando ,
omniamore ex cordis affectu dum vi-
vam colendo , honorando:

D. D. CORNELIO vander MARCKT ,
Societis Indiæ occidentalis administra-
tori, prudentissimo , contutori ac co-
gnato suo , omni honore prosequendo ,
colendo :

*Hanc disputationem Juridicam
Inauguralem*

Dat, Dicat, Dedicat

S A M U E L S C H O R E R ;

A U C T . & R E S P .



DISPUTATIO JURIDICA
IN AUGURALIS,
DE
EMPTIONE-VENDITIONE.

THESSIS I.



Rigo emendendi-vendendi (verbis met
Pauli in l. 1. ff. h. t.) à permutationibus
cœpit. Olim enim non ita erai nummus,
neque aliud merx, aliud pretium voca-
tur: sed unusquisque secundum necessitatem
temporum, ac rerum, utilibus inutilia per-
mutabat, quando plerumque venit, ut
quod alteri superest, alteri desit. Sed quia
non semper, nec facile concurrebat, ut cum
tu haberet, quod ego desiderarem, invicem haberem, quod ut acci-
pere velles, electa est materia, cuius publica, ac perpetua estima-
tio difficultatibus permutationum, aequalitate quantitatis subveniret:
eaque materia fornæ publicâ percussa, usum dominiumque non tan-
tum ex substantia prebet, quam ex quantitate: nec ultra merx utrum-
que sed alterum pretium vocatur. Quod autem Paulus hic dicit,
non tantum est Romanorum proprium, sed & aliarum gentium
antiquarum, id quod ex subjecta quæstione & factis Græcorum

A 2

(de

ANCT: & RES:

DISPUTATIO JURIDICA

(de quibus agitur propositis versibus Homericis) non tantum constat, sed aliunde liquet. Sed quoniam mei instituti tantum est, ea quæ ad emptionis-venditionis materiam pertinent explicare: Etymologiam thesi sequenti describere pergam.

I I.

Emptionis verbum à Græco vocabulo *εμπ*, id est *meum facit*, sive rei alicujus utilitatem, commoditatem vel usum acquiram. Unde antiquitus idem erat quam sumere, accipere, item conducere. Hinc est quod conductores, operis faciendi, vectigalium, & alii, frequentissime in legibus redemptores dicuntur, quia pecuniam (opere perfecto) accipiebant *l. 13. §. fin. l. 60. §. 4. locut. & passim in aliis*; sic qui locabant vetuste emere dicebantur; post emere dici coepit, qui mercatur; lex 12. tabularum verbo emptionis omnem alienationem complexa est, ut docet Pomponius *in l. 29. in medio ff. de status liber.* Appellatur autem hic contractus duobus modis; factum enim ejus, à quo pecunia datur *emptio*, & ipse dans *empor*, ejus autem à quo res proficiscitur *venditio*, & ipse *vendor* dicitur, & licet alter sine altero non possit subsistere, tamen maxime differunt *l. 1. ff. b. t. l. 1. ff. de permutat.* hæc dicta sunt quoad originem & etymologiam; porro describenda & partibus excutienda est definitio, quæ ita potest definiri.

I I I.

Emptio-venditio est contractus *Juris gentium nominatus*, *bonae fidei*, *consensu constans*, *de re empori tradenda*, & *preiūm venditori dando*. *Juris gentium ex mente Pauli in l. 1. §. ult. ff. b. t.* ex hoc enim iure omnes pene contractus originem habent *§. 2. Inst. de jure N. G. & C.* ubi Imperator particulâ pene, indicat aliquos contractus ex jure civili productos esse, ut stipulatio, & litterarum obligatio, quia isti contractus sunt stricti juris civilis. *Nominatus*, quia transit in proprium nomen *l. 7. §. 1. ff. de pactis.* Reliqua verba definitionis denotant tria substantialia, quæ sunt con-

I N A U G U R A L I E S .

5

consensus, res, & pretium; 1. igitur consensus ab utraque parte l. 9. ff. b. t. 2. res à parte venditoris l. 8. ff. b. t. 3. pretium à parte emptoris. l. 2. §. 1. ff. b. t.

I V.

Quod ad primum attinet, consensu hic contractus constare dicitur, quia non consideratur rei interventus, sed simul ac convenit, licet nondum tradita, nec pretium numeratum sit, nascitur utrimque, & naturalis & civiles obligatio prius. Inst. b. t. verum ab hac regulâ tres sunt exceptiones; 1. In l. pr. si placuerit emptionem contrahere inscriptis, tum enim non aliter perfecta est venditio, quam si omnibus ista scriptura sit completa d. l. pr. & l. 7. C. de fide infr. ante p̄nententia locus est. In scriptis fieri dicitur emptio, non cum jam perfecta inscripturam redigitur, sed cum contrahentes id ab initio egerunt, ut scriptura interveniat, nec aliter ratum esse velint, quod geritur. 2. Si venditæ res fuerint, quæ pondere, numero, mensurâ constant, tunc non aliter perfecta est quam si fuerint ponderatæ &c. 3. Emptio conditionalis non aliter perfecta est quam si conditio existat l. 7. b. t. ut ergo emptio-venditio consensu ineatur, requiritur, ut consensus sit non tantum verus, sed liber, quia invitus nemo cogitur rem vendere aut emere; limitatur autem hac regula. Si dominus nimis severus sit in servos, bonis conditionibus cogitur vendere; expedit enim Republicæ, ne quis re suâ male utatur l. 2. ff. de his qui sunt fin. §. 2. J. cod. Heres quoque testamento onerari potest, ut emat §. 4. J. de legatis, l. 49. §. 8. l. 66. ff. de leg. 1. sic tempore caritatis annonæ à Magistratu aliquis compellitur l. 1. & 2. C. ut nemoliceat, & prius præstito solatio, ac justo pretio à Magistratu definito l. 13. §. 1. communia predi. ne venditor nimis magnum patet detrementum l. 12. ff. de Relig. fin.

V.

Libertatem consensus impediunt dolus, mctus, & error. Quod

A 3

ad

DISPUTATIO JURIDICA

ad dolum attinet vel incidit in emptionem, vel ei dat causam; dolus incidere dicitur in emptionem, cum aliquis inducitur, ad pluris emendum vel minoris vendendum l. 13. §. 14. ff. de act. emp. dolus dicitur dare causam emptioni, cum aliquis ad emendum vel vendendum inducitur, qui alias empturus aut venditurus non erat. Priori casu emptio quidem ipso jure valet sed reseinditur actione ex empto l. 11. §. 7. ff. de act. emp. posteriori casu emptio est ipso jure nulla l. 7. pr. ff. de dolo, l. 16. de res. vend. Quoad vim & metum attinet, non distinguendum est, utrum inciderint in emptionem, an dederint causam contractui, sed semper emptio vi aut metu contracta ipso jure subsistit, verum ex edicto prætoris restituetur l. ult. §. 1. & 3. ff. quod metus caus. l. 5. G. eod. error etiam consensui contrarius est l. 15 ff. de jure dot. & ita distinguendum puto: vel erratum est in corpore, vel in tota materia, tum est ipso jure nulla l. 9 pr. & §. 1. eod. idem si in sexu erretur l. 11. §. 1. si autem in rei qualitate emptio constituit l. 21. §. 2. ff. de act. emp. l. 41. §. 1. ff. b. t.

V I.

Videndum jam de personis quæ emere-vendere possunt, omnes qui non prohibentur, ut prodigi, furiosi l. 26. ff. & l. 2. C. h. t. eorum nullus consensus, nullaque voluntas l. 5. & 40. ff. de R. f. nisi dilucida habent intervalla l. 2. C. h. t. non contrahitur emptione-venditio inter patrem & filium, quia habentur pro una persona, nisi in castrensi peculio, ubi filius habetur pro patre l. 2. ff. b. t. nec inter Medicum & ægrotum l. 9. de Proff. & Med. ratio est, quia non videtur libere iniri, neque tutores & curatores & alii administratores, qui ex officio aliquod negotium gerunt, idque ob metum sinistræ administrationis l. 34. §. ult. ff. b. t. nec Magistratus ob metum excussionis, nempe eo tempore, quo Magistratum gerunt l. 46. ff. b. t. cum qua jungenda l. unica C. de cont. jud. ex qua duo patent: 1. quod illa prohibitio tantum pertinet ad Magistratus provinciales. 2. quod tantum locum habet in rebus immobilibus aut mobilibus, quæ non pertinent adiectum aut am-

gium

INAUGURALIS 9

Etum l. 62. ff. b. t. prohibentur Monachi l. 4. §. 3. de hered. Apo-
statae l. 4. C. de Apost. Curatores & Procuratores possunt tamen
emere res quas administrant, modo auctione publicâ quæ palam
fit vendantur. l. 5. C. b. t.

VII.

Sufficient hæc de personis, jam de rebus aliqua dicenda ve-
niunt: emi-vendi possunt omnes res quæ sunt in commercio: se-
cundum l. 34. §. 2. b. t. omnes res quas habere, possidere, vel perse-
qui possumus. Non tantum res corporales sed & incorporales, ut no-
mina & actiones, etiam invitîs (l. 3. l. 6. l. 16. ff.) & ignorantibus
creditoribus l. 11. C. de hered. & pæt. V. sive sit realis, sive
personalis actio l. f. C. cod. modo fiat ante item contestatam,
quia res litigiosæ vendi non possunt, non tantum propria, sed &
aliena l. 21. ff. b. t. quia venditor semper de evictione tenetur,
l. 11. §. 2. ff. de aet. empt. si tamen emptor sciverit rem alienam
esse, non valet emptio l. 34. §. 3. ff. b. t. etiam universales, ut he-
reditas, modo defunctus sit is cuius fuit, cum viventis nulla est
hereditas, l. 1. ff. de hered. vel aet. V. item præsentes & futuræ, &
similia; tenetur autem hic contractus, si nascuntur, si non, secus
erit, nec emptio valebit l. 8. b. t. l. 8. ff. de perio R. V. l. 1. ff. de cond.
& demo, item res publicæ, sed cum solennitate l. sin. C. de vend.
ver. Civ. item res confiscatae, propter publicas pensiones non so-
lutas, si ex auctoritate præsidis sub hasta vendantur.

VIII.

Vendi non possunt res quæ sunt extra commercium l. 34. §. 1.
ff. de contr. empt. commercium nihil aliud est, quam emendi-ven-
dendi in vicem jus, secundum Ulp. in fragm. tit. 12. §. 4. extra com-
mercium res est tribus modis, uti Paulus d. loco, vel natura,
vel jure gentium, vel jure civili; Natura extra commercium sunt,
luna, mare &c. item res quæ nec existunt in rerum natura nec exis-
te posseunt l. 52. ff. b. t. Jure gentium sunt liberi homines §. ult.
f. b. t.

DISPUTATIO JURIDICA

J. b.t. l. 6. ff. eod. item res sacræ, sanctæ, religiosæ. *d. §. ult. l. 22.*
ff eod. Jure civili res absolute vendi prohibentur, quædam sub
certo modo; absolute, fora, theatra, stadia, balnea *d. §. ult. & §. 2.*
Inß. de junct. stip. venena mala *l. 35. §. 2. ff. b.t.* sub certo modo
res, pupillorum &c.

I X.

Tertium substantiale est pretium, nam sine pretio nulla est
venditio *§. 13. b.t. l. 52. eod.* pretii requisita duo sunt, primum ut
sit certum quandiu pretium non est determinatum, aut certum,
incerta est venditio *l. 7. §. 1. ff. b.t.* exemplum habemus *in l. 37. ff.*
b.t. sive id contrahentes certo definierunt, expresse ab initio sive
aliunde constat, exempli gratia, tantum dabo quanti emisti, aut
quantum pecuniae in arca habeo. Pretium non potest conferri in
arbitrium alteritius, quia eo casu inutilis est venditio. Ex gr.
vendo tibi domum quanti æstimaveris vel quanti æquum putave-
ris, vel ab altera parte quanti ille æstimaveris. Ratio est quia ob-
ligatio est juris vinculum quo necessitate astringimur alicujus rei
solvendæ, atque hic nulla astringendi necessitas *l. 35. l. 13. C. eod.*
Potest tamen conferri in arbitrium alterius tertii, ut quanti Titius
æstimaverit, tanti emo: quid si non possit aut noluerit, emptio
ob defectum conditionis nihil erit & nullius momenti, in quo
distinguitur à permutatione *§. prec. l. 3. C. de contemp.* *l. 1. ff. eod.*
in qua res pro re datur, at in emptione pretium pro re, est que æsti-
matio valoris rei venditæ.

X.

Primus effectus emptionis-venditionis consistit in periculo;
Unde sæpe agitur hec quæstio: an periculum rei venditæ spectet
ad emptorem, an vero ad venditorem; Respondeo ademptorem
ob *l. 10. ff. de R. J.* cui sequuntur commoda, ei etiam sequuntur
incommoda, quia statim ac de emptione convenit emptor, jure gen-
tium sit dominus. Probatur etiam per *l. 8. ff. de peric. & com. R. V.*
junctio

juncta §. 2. *f. b. t.* unde si ædes venditæ, ante traditionem, casu fortuito conflagrarent, hoc periculo emptoris cedit, & nihil minus cogitur pretium solvere d. §. quæ regula duobus firmissimis argumentis fundata est. Primo quia debitor specie liberatur rei interitu, qui ante moram sine culpa contingit, licet res nondum tradita sit l. 23. ff. de *V. O.* Itaque cum res vendita interierit, casu fortuito, liberatur ab ejus præstatione vendor, tanquam debitor speciei, seu mercis ut res perit periculo creditoris, id est emptoris ratio consistit in lege dicta 10. ff. de *X. F.* atque cum emptor percipiat commodum rei venditæ quæ ante traditionem accesserunt, veluti si ager alluvionibus accrevit, rationi consentaneum est, ut pericula & in commoda quoque sustineat.

X I.

Alter effectus emptionis venditionis in obligatione mutua consistit. Ita ut à contractu perfecto recedere non licet l. 3. §. 6. *C. de resc. V. pr. ff. b. t.* Quæritur an sub dispendio arrharum, ab emptione licet recedere. (Arrha est pecunia, aut alia res, quæ datur in signum venditionis unde & ejus substantia non est, sed tantum loco signi datur, ut evidenter possit constare de pretio convenisse l. 5. ff. b. t.) Quod ad quæstionem attinet, mihi negantium sententia arridet, imo ob generalem regulam quæ docet non esse locus pœnitentiae, quando perfecta est venditio l. 1. 2. *C. quando licet ab empt.* 1. Per l. 5. *C. de obl. & act.* 2. Quia ab emptione perfecta ne quidem rescripto Principis licet recedere l. 2. *C. de resc. V.* 3. Quia arrha datur ad confirmandum, non ad infirmandum, absurdum enim esset, illud quod ad actus alicujus confirmationem est comparatum, illud ad ejus infirmitatem fieret.

X I. I.

Ex obligatione mutua, de qua dictum est, duæ oriuntur actiones empti & venditi quæ ordine explicandæ veniunt. *Actio empti*

B

XO DISPUTATIO JURIDICA

empti est actio personalis bonæ fidei, quæ datur emptori adversus venditorem ut rem venditam tradat, cum omni accessione datur emptori l. 11. ff. b. t. licet alienā pecunia emerit l. 8. C. si quis ult. vel sib. etiam heredibus ejus, quia est rei persecutoria. l. 10. ff. b. t. Quid si procurator emerit, datur domino utilis actio l. 13. §. 25. ff. cod. cæterum ex d. l. 13. §. 8. notandum quod non aliter emptori hæc actio datur, quam si pretium solverit nascitur quidem ubi contractus est perfectus, etiam non soluto pretio §. 1. ff. de empt., sed cum effectu in judicium tum potest deduci, ubi pretium est solutum, satisfactum d. l. 13. §. 1. vel oblatum, aut si fidem de pretio habuit §. 41. d. rer. divis. l. 5. §. 18. ff. de trib. att. Datur adversus venditorem l. 1. §. 1. ff. b. t. etiam contra pupillum, sive ipse tute r auctore vendiderit, sive ipse tutor l. 7. §. 1. ff. de res. V. quod si curator vendiderit datur utilis actio contra dominum l. 13. & 25. ff. b. t. petitur principaliter hæc actione ut res tradatur cum omnibus accessionibus. pass. in b. t.


XII

Illustris est quæstio. An vendor cogi possit ad rem ipsam tradendam, an vero liberare se possit præstando id quod interest; Jure Civili magis conveniens est sententia, quæ statuit venditorem liberari posse præstando quod interest; quod multis legibus probatur ut in l. 1. l. 11. §. 9. l. 12. ff. b. t. l. 4. C. cod. l. 68. §. ult. b. t. l. 10. ff. quibus pig. vel hypoth. solvitur & quidem maxime per legem 17. in medio C. de fide instrum. in verbis, necessitas venditori imponatur, vel venditionis contractum perficere debet, vel id quod emptoris interest persolvere. Contra has leges non valet distinctio, utrum vendor rem non habeat, ut tum possit se liberare præstando id quod interest, an vero habeat, ut tunc præcise teneatur tradere, nam præterquam, quod dictæ leges indistincte loquuntur, neque hæc distinctio nulla lege probatur, & in specie repugnat. leg. 12. ff. b. t. l. 4. C. cod.

XIV. Actio

XIV.

Actio venditi est actio civilis, personalis, rei persecutoria, honestae, quæ datur venditori adversus emptorem, ut tradat premium, & omne id quod ex natura contractus praestandum venit datur haec actio venditori, & ejus heredibus l. 13. §. 19. ff. b. t. adversus emptorem, & ejus heredes l. i. C. eod. utilis datur domino & in dominum procuratoris l. 13. §. 25. ff. b. t. petitur omne interesse, quod ab emptore venditori praestandum est l. 3. §. 19. ff. b. t. imo premium l. 13. §. 20., quod ita solvere debet, ut numeros venditoris faciat, l. 11. §. 2. ff. b. t. 2. Si emptor fuerit in mora, venditor ab eo petit usuras l. 13. §. 20. ff. b. t. l. 5. ff. de pact. inter empt. & vendito. 3. Impensas necessarias & utiles, quas venditor post contractam venditionem impendit in rem l. 13. §. 22. ff. b. t. 4. Fructus quos emptor ante venditionem perfectam percepit. l. 2. C. b. t. 5. Ut tollat lapides quos ex fundo venditoris emit. l. 9. ff. b. t. 6. Dolus emptoris in hanc actionem venit, si forte iniqua pondera adhibuit. l. 32. ff. b. t.



COROLLARIA.

P H I L I P P I.

Suā naturā non dantur actiones mixtae.

J O H A N N I S C I R C U I C R A F T U I

*Tutoris datio non est jurisdictionis ordinaria
sed legitima.*

I I I.

*Lex. 2. Cod. de rescind. vendit. non ha-
bet locum in transactione.*

I V.

Servitutes maxime sunt in bonis.

V.

Maritus est Dominus dotis.

F I N I S.